



DE
Primis Cognoscen-
di Principiis,

Fortunante Divino Numine,

Disputabit publice

Sub

PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,

Log. & Met. Prof. Publ.

M. HERMANNUS PETRÆUS,

Austro-Gothia Svecus,

Ad D. XVII. Maji, A. O. R. MDCXC.

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

11.

DE
Principis
Fortunae Divinae Nominis
Dyckhoff
20p
PRÆSIDIO
CHRISTIANI DONATI
Log. & Met. Prof. Publ.
M. HERMANNUS PETRAEUS
VITTEBERG
H. L. G. C.
AD. WILM. A. O. R. MDCCX
WITTEBERG
THE. MARTINI SCHULTZ



Cum Deo!

Positio I.

Medium, quo se perficit mens humana, &, qua caret per naturam, scientiam acquirit, discursus, seu illatio est, qua ex quocunque cognito infert atque intelligit, quod ipsi ante erat incognitum.

II.

Istud igitur cognitum, à quo ad incognitum procedit, Principium cognoscendi communiter audit: quod ejuscemodi est propositio, ex qua, ceu priori, alia fluit.

III.

Nec vero quævis statim propositio genuinum dat cognoscendi principium, sed illa saltem, quæ & vera est, & certi, ac unius sensus, nec tamen identica, itaque præterea comparata, ut pro data sui explicatione nec minus, nec aliud quid, importet, quam ipsa ejus verba de se pro usu loquendi recepto inferunt.

IV.

Quibus proinde conditionibus si qua prædita propositio non sit, ea (me quidem judice) vel rejicienda prorsus

sus, vel emendanda, si correctionem admittat, vel certe alio, quam principii, habenda loco est. Quod si factum dudum in disciplinis artium fuisset, aut fieri per infirmitatem humanam liceret, procul dubio minus in plerisque hodie laboraremus, nec tantæ, inter bonos etiam auctores, vigerent lites.

V.

Jam cum non minus, ut in rerum productione ac origine, sic & in cognitione veritatis dari neque circulus, neque progressus in infinitum queat; existere etiam aliquid, vel aliqua prima principia oportet, è quibus cætera profluant, ac dimanent, quæ dictæ cognitioni gignendæ deserviant.

VI.

Unde adeo consurgit illa notabilis admodum (parce quidem alias, ac minus dextre vulgo tradita) Principiorum distinctio, quæ ea in Prima, & Secunda, seu Orta dirimuntur.

VII.

Est autem, atque dicitur Principium Primum, quod per se notum est: hoc est, de cujus veritate nobis, etiam citra discursum, illationemque ex principio alio, undecunque constat. Et ex adverso, Principium Secundum, seu Ortum, quod nisi per aliud notum non est: hoc est, de cujus veritate nobis non nisi per discursum, illationemque ex principio alio, constat. Quorum uti prius alias & summum sciendi principium, item propositio immediata-

media-

mediata, atque prima veritas; ita posterius propositio
mediata appellatur.

VIII.

Consequenter etiam id Primum principum est, à quo
& derivatur originaliter aliqua discursu genita cognitio,
& in istud ultimatò vicissim resolvitur, sic ut, ubi eo fuerit
ventum, mens humana, de solido cognitionis fundamen-
to sollicita, plane acquiescat, ulteriorem sumptionis ra-
tionem amplius haut deposcens.

IX.

Hæc nempe plana ac expedita est, inque usu termini
communi, & ad minimum tacito omnium consensu fun-
data, Principii declaratio. Quam proinde nec in dubi-
um vocaturos facile Peripateticos esse (nedum ut cum
ratione id facere possint) opinor: qui perperam alias Pri-
mum principium per indemonstrabile, ac medio carens,
perque id, quod ex suis tantum terminis est cognoscibile,
definiunt.

X.

Nam etsi Primum principium ad sui cognitionem
opus medio termino, per quem, aut principio alio, ex quo
demonstretur, non habeat, quin sit certa ratione ex ipsis
terminis cognoscibile: non tamen propterea respuit pla-
ne omnem sui, etiam ostensivam, demonstrationem, id
est, solidam ac convincentem probationem, qua percon-
tanti, vel ambigenti etiam, aut non adeo præfracte negan-
ti verificari ex abundanti queat.

XI.

Quibus descriptionibus, jam à me rejectis, nec meliores eæ sunt, quando porro aliqui Peripateticorum Primum principium speciatim esse volunt, vel cujus prædicatum idem cum subjecto est, vel includitur in ratione, aut idea subjecti, vel est de ratione subjecti.

XII.

Ubi vero nostris, paulo ante suppeditatis, jam inhærendum sit; haut erraturi videmur, si quinque Principiorum Primorum genera ponamus: Naturalia nempe, quæ à natura; Sensualia, quæ ex sensu; Revelata, quæ ex divina revelatione; Præceptiva, quæ ex imperantis voluntate; ac Definitiva, quæ ex usu loquendi recepto, immediate nobis innotescunt, atque constant.

XIII.

Dicimusque adeo, hæc, exempli gratia, principia, quæ pro primis inter alia Peripateticis habentur: Impossibile est idem simul esse, & non esse: Quodlibet est, vel non est: Totum est majus qualibet parte: Quæ eidem sunt æqualia inter se sunt æqualia: Si æqualibus æqualia addantur, quæ inde proveniunt, sunt æqualia: Si æqualibus æqualia demantur, quæ remanent, sunt æqualia: Si æqualibus inæqualia addantur, quæ inde proveniunt, sunt inæqualia; atque istiusmodi, speciatim Principia prima Naturalia, ac nobiscum nata, notitiasque insitas esse.

XIV.

Quæ ipsa proinde non demum per sensum ex inductione, (uti volunt plerique) neque per solam terminorum eviden-

evidentiam (ut censent alii) cognoscuntur : sed sunt
jam tum natura nota.

XV.

Quod qui negant temere, ex hac ferme causa id mihi
quidem facere fuere visi, quod inter actuale, & habitua-
lem notitiam, interque actum notitiæ secundum, atque
primum distingvere nesciant; habentes semper princi-
pia, quæ natura nota dicuntur, pro notitia actuali, actuque
notitiæ secundo, quæ tamen putare notitiam habitua-
lem, actumve notitiæ primum debebant,

XVI.

Qui vero procul dubio rem eo facilius fuerint per-
cepturi, ac consensuri nobiscum, ubi meminerint modo,
per notitiam illam (habitua-lem) naturalem nihil aliud,
quam naturalem mentis humanæ ad amplectendas eas,
quas ipsa involvit, veritates inclinationem, seu propen-
sionem, determinationemve esse, tum primum in actum
(secundum) erumpentem, hominem in assensum tra-
bendo, cum ille cogitare de istis undecunque inceperit, ac
toties se exerentem, quoties ipse cogitationem earum, re-
rumve iis contentarum, apud animum iterarit,

XVII.

Neque porro, quo minus, quæ dixi, sensualia princi-
pia primis sint annumeranda, illud ob stare quoquam mo-
do potest; quod sensus sæpenumero errare deprehen-
dantur: quandoquidem id non per se, sed ex accidenti
evenit; ubi nempe ratio, cum sensu conjuncta, aut eo-
dem utens, vel prorsus negligit in judicando, & ample-
ctenda

etenda re per sensum cognita, vel non satis discernit circumstantias ad recte percipiendum alioqui requisitas.

XVIII.

Jam uti, quæ in mathesi alias demonstrationibus conficiendis inservituræ præmittuntur Definitiones, procul dubio primis sunt accensendæ principiis: ita consimiliter & quæ in cæteris disciplinis occurrunt, & in argumentando seu probando passim ac recte adhibentur propositiones, de termino ipsius definitionem, aut vice versa, enunciantes, ejusdem generis merito putantur. Quas ipsas nempe nomine Principiorum Definitivorum supra innuebamus.

XIX.

Quamquam necessum tamen non sit, ut in iisdem exquisita atque tota rei definitio (quæ & in controversiam sæpe venit) ponatur: quin sufficiat, si ejusmodi saltem, quæ cum definito de consensu omnium reciprocetur, si ve simul conceptum communem aut genericum exhibeat, si ve tantum differentialem, eumque vel essentialem, vel accidentalem; hoc est, quæ ipsum termini significatum receptum exprimat.

XX.

Jam in primis principiis maxime omnium eminet istud: Impossibile est idem simul esse & non esse. Hoc enim ipsa quasi radix, aut, si mavis, substantia rationis humanæ est; velut ubivis in discurrendo se exerens; æque in ipsis etiam infantibus, jam ratiocinari ac differere cum altero incipientibus, valde (ubi paululum attendas) conspicuum.

In

XXI.

In quo cum non tantum principia secunda, sed & reliqua prima suo modo fundata sint: merito istud & principium cognoscendi simpliciter primum inde audit.

XXII.

Quo quidem nomine tantum abest, ut alterutrum horum Cartesianorum gaudeat: Cogito, ergo sum; & Quidquid clare ac distincte percipio, verum est; ut ne quidem principii nomen ambo tueri possint.

XXIII.

Idemque hoc & de istis, nuperrime orbi erudito propinatis: Quidquid possum concipere, illud est verum; & Quod non possum concipere, illud est falsum; cum maxime est habendum.

XXIV.

Quemadmodum igitur potest aliquod primum principium ex alio primo principio roborari: ita nec idem principium primum per se ipsum remote probari repugnat, ut ne tamen in probando committatur circulus, aut petitio principii.

XXV.

Non omne primum principium infallibile est: sed dantur etiam in probabilibus quædam prima principia.

B

Cate-

XXVI.

Cæterum principia, cum prima, tum secunda, conjunctim sumpta, respectu conclusionis inde inferenda, Luminis nomine veniunt; atque adeo in Lumen Naturæ, & Revelationis tribuuntur. Estque Lumen Naturæ nihil aliud, quam illa cognoscendi principia, quæ homo citra divinam revelationem, sive à natura insita, sive per proprias naturalesque vires undecunque acquisita habet. Unde & distribuitur in Lumen naturæ Insitum, & Acquisitum: quorum illius ambitu & Lex naturæ continetur. Lumen autem Revelationis ea complectitur principia, quæ non nisi ex divina revelatione nobis constant.

XXVII.

Utriusque autem Luminis intuitu Ratio vel Recta, vel Perversa audit. Est nempe Ratio Recta ipsa mens nostra, quatenus in inferendo & judicando istis principiis, ceu genuinis, utitur. Ac speciatim Ratio Naturalis, quatenus solo naturæ lumine nititur. Cujus ipsius actus & Rectus rationis Usus, atque speciatim Judicium naturale vocatur. Ratio autem Perversa est ipsa mens nostra, quatenus in inferendo & judicando ab istis principiis abludit: hoc est, quatenus non ex istis, tanquam genuinis, cognoscendi principiis aliquid infert, aut de aliqua re judicat, sed ex aliis, iisque falsis, seu spuris, ac adulterinis.

XXVIII.

Id vero, ubi Prima principia recondita hærent (eruta inde, aut eruenda) Liber appellatur: qui cum Naturæ,
tum

tum Scripturæ est. Scilicet Liber Naturæ nihil est aliud, quam res creatæ conjunctim sumptæ, aut universa natura, ipseque mundus. Qui quidem in Librum naturæ Internum, & Externum dirimitur: quorum ille ipsa mens humana est; iste, res cæteræ extra eandem positæ. Liber autem Scripturæ, Verbum Dei scriptum, seu Scriptura S. Quantumvis hæc divisio Libri recepta saltem inadæqvata sit.

XXIX.

Jam ex dictis quidem satis constat, Habitum primorum principiorum universe sumptum, non aut innatum, aut acquisitum, sed partim innatum, partimque acquisitum esse, cujus aliam aliamque partem sibi alii aliique habitus, dianoëtici dicti, vendicent, eique ceu fundamento innitantur.

XXX.

Et quanquam igitur sua quæque disciplina prima principia ipsa tradit atque inculcat: illud tamen haut ob- stare potest, quo minus doctrina de primis principiis in actu signato ad unam aliquam disciplinam spectet. Quæ vero, nisi totus fallor, ipsa Logica, ceu philosophia ratio- nalis, est: quorsum nempe & Peripatetici dudum illam, principis sui ductum secuti, revocarunt. Etsi forsan alio, quam ab istis factum, loco eandem conve- niant pertractare.





